DE HÆMATEMESI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO...

Giuseppe De Grassi

DE HÆMATEMESI
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO

PATAVINO

AD LAUREAM MEDICAM OBTINENDAM

PUBLICE DEFENDIT

JOS. DE GRASSI ILLYRICUS

EX MONTEFALCONE

PATAVII

TYPIS PENADIANIS

MDCCCXXVII.

Quamquam erduum sit, humerisque meis inconcinnum aliquid de re medica pertractare in qua infans adhuc sum, attamen vestra bonitate Professores amplissimi vestraque indulgentia suffultus, quod mihi consuetudo imponit munus venerabundus persolvam.

Inter innumera quae genus humanum miserrime conflictare solent incommoda, illud terrificum, nec satis e medicis illustratum, se mihi obtulit observandum, quod diversimode nunc haematemesis, nunc vomitus cruentus, nunc melaena, nunc Fluxus splenicus, nunc morbus niger Hippocratis, ab auctoribus nuncupatum, homines immaniter morte mactare consuescit.

Est enim hicce morbus sanguinis effusio in cavitatem ventriculi aut intestinorum, quae per vomitum vel per anum, vel ex utraque parte uno tempore expellitur.

Sanguis modo fluidus modo densus, vel ruber aut niger, modo cum alimentis commixtus, a vasis praeflunt ventriculi aut intestinorum aut partium hisce adjacentium

De origine hujus morbi valde inter se certant auctores. Hippocrates aliique Medicinae Proceres, hepar uti causam hujus morbi statuerunt, ejectamque per vomitum materiam veluti bilem corruptam respicientes. Haec tamen opinio postremis observationibus cessit.

Quidem recentioris aevi putarunt hoc morbo

affectam effundere in ventriculum per vasa brevia sanguinem atrum, nam post mortem illud recus parvum immutatum, vasaque brevia prolata invenera.

Alii in hepatis obstructione et scyrrho melaenae causam collocarunt, quatenus sanguinis columna, quae per arteriam hepaticam impellitur, obstaculum in hepate offendens, per ramum gastricam fortius urgetur in ventriculum, unde et congestiones et effusiones ipsae in hac cavitate contingunt.

Ut res tamen clarius pateat, sanguinis origo arteriosa an venosa sit inquiramus necesse est.

Arteriosam haematemesim probavit Portal nam injectiones per arteriam gastricam superiorem in ventriculi cavitatem irruere vidit, venae autem compressae et injectae nullum humorem in eamdem cavitatem effundabant.

Veterum opinionem circa melaenam ipse Portalius abjecit, propriis enim observationibus innixus concludere potuit materiam atram vomitu aut alvo rejectam, et interdum solo vomitu, rarius ex alvo, biliosam minime esse, aut saltem paucam contineri bilis copiam, nam ipsa nulla amaritie aut flavo, aut viridi colore constabat.

Reil porro asseruit raro in stomacho varices existere, rarius quidem activas, haemorrhagias a venis oriri. Atque una cum rel. Portal propriis experimentis suffulti, dixerunt sanguinem per arterias coronarias copia et impetu majori irruenteri in ventriculum (dum hepar et lien aliquo vitio adfecta, eorum sanguinis partem ex arteria coeliaca respuebant) e respondentibus venis re-

cipi minime posse, hinc per anastomosim arteriosam effundi in cavitatem ventriculi.

Plurimi vero venosam haematemesis originem autumarunt, inter quos praecipui *P. Frank Sprengel*, *Jac. Franceschi* Professor in Clinica Lucense, *Muzel*, aliique.

P. Frank venosam absque dubio ipse statuit haematemesim, aliquando tamen activam sive arteriosam esse non renuens.

Sprengel sanguinis lentam circulationem in vena Portarum et hinc sanguinisque abundantiam ejusque hydrogenationem et carbonisationem respexit, et praeterea quod malaenae fere semper anteibant, hepatis lienisque morbi, vel sanguinis congestiones in Vena portarum, vel haemorrhoides suppressae, vel menstruationis ataxiae.

Prof *Franceschi* ab haemorrhoidibus haematemesim in eo distare putavit quod haemorrhoides a vasis solummodo sedalibus, haematemesis vero ex omnibus ventriculi, intestinorumque venosis extremitatibus promanare.

Musel observavit in hominibus haematemesi defunctis lien syrrhosum atque atrophicum, et ex hoc per compressionem impelli in ventriculum posse materiam similem illae quam aeger, morbo durante, per vomitum rejecit. Venam vero coronariam ventriculi et lienalem hinc illinc varicibus proletas invenit.

Vero tamen simile est melaenam nunc ab arteriis nunc a venis originem duci, licet eamdem utroque in casu naturam prae se ferat rejecta materies. Nullus enim a colore sanguinis eruitur character quo judicium statuatur, nam sanguis ipse arteriosus si diu in ventriculo sistat niger fieri potest per carbonisationem

Dicam potius cum clariss Hasse arteriosam eam esse haematemesim quam brevissima prodroma symptomata praecedunt, et quae splenitidem hepatitidem atque metastasim haemorrhoidum, menstruorumque veluti symptoma comitatur; quo in casu causam inter et affectum tam exiguum temporis spatium intercedit, ut venarum varices nequeant efformari, quibus disruptis, sanguis effunditur. Expedit tamen dicere, per anastomosim vel ut ita dicam, per sanguineam secretionem ab extremis ventriculi, vel organorum illi adjacentium, arteriosis ramulis, haematamesim exoriri.

E contra, venosa erit haematemesis, cum diu praecessarint spastici dolores in hepate, ventriculo at liene absque localibus inflammationis signis et absque febre, Cum obstructa indurata et scyrrhosa adsint haec viscera, quapropter venae compressae dilatantur usque ad earum erigioem, unde disruptio et sanguinis effusio sequuntur.

Hae viscerum obstructiones normalem sanguinis circuitum impediunt in imo ventre ac vena portarum, et exinde stagnationes dilatationes, rupturae, sanguinisque effusiones e venis contingunt.

Haematamesis idyopathica quae a causis mechanicis aut chaemicis producitur, notissimam docet originem ab erosione vel rupture vasorum ventriculi vel intestinorum quae cum ad arterias tum ad venas pertinent

DIAGNOSIS

Plurimi ab aetatis anno 30 ad 50 usque

hoc morbo corripi solent non secus ac ipsae foeminae ubi catameniorum periodus perturbetur aut desit. Hypochondriaci, temperamenta pituitosa, et ii qui pallido flavo aut terrestri colore tinguntur, aut ii qui gravioribus et diuturnis studiis indulgent, aut inerti vita fruuntur, hujusmodi profluvio obnoxii esse solent.

Praecedunt haematemesim nausea, anxietas, tensio et ardor in epigastrio atque lipothymia, interdum autem evenit, ut absque ulla lipothymiae, sensatione aut tussi sensibili sanguis secernatur ab ano.

Praedispositio in plurimis jam a multis annis adest. Ubi in his catamenia aut haemorrhoides retinentur sensatio contractionis irritationis, oppressionis molesta in praecordiis, cardialgia, dolor in dextero hypochondrio, in abdomine, lumbis et columnae vertebrali palam fiunt, alimenta aut nimis optant, aut ea respuunt, nausea, vomituritio, aut ipse vomitus oritur aquosus acidus, atque interdum ptyalismus, ut respiratio suspiriis et cordis palpitationibus comitatur.

Alii flatibus torquentur absque odore non sine levamine et non raro proximae lipothymiae sensatione laborent. Hisce phaenomenis evanescentibus, aut aequali vi perseverantibus, aut alimentis vix sumptis, aut in ipsa alimentorum digestione, se hoc gravi morbo laborare aegroti minime arbitrantur, sed potius ventriculi spasmodicum morbum quodammodo incusare solent, quam propter liquoribus spirituosis et aromaticis, aut coffeae arabicae potu utuntur. Caveat itaque medicus ne fallacibus signis decepto gastricam colluviem arbitretur, atque ideo emetica aut cathartica cum maximo aegrotantis detrimento prae-

8

scribat, uti P. *Franck* fuoesta quamplurima hujusmodi exempla observavit.

Quidam aegri post hypochondriorum et lumborum dolores atque imminentis syncopis sensationem, materiem nigram correptamque sanguineam alvo excernunt, quin ulla vomitu sanguineo materie expellatur. Hujusmodi in casu aegri virium infirmitati atque assiduis lipothymiis obnoxii cum pulsu valde debili frigido et convulsionibus extinguuntur.

Quidam sanguineo profluvio fere de repente laborent, aut saltem absque antecedenti in epigastrio molestia. Exemplum hujusmodi nobis protulit P. Franck in muliere annorum eo in clinice Papiensi cujus historiam legimus in sua Praxi medica.

Inter fragmenta sanguinis rejecta aliquando polyposa aut fere carnosa concretio aut membranae quaedam species sanguine oppleta conspiciebatur. Quod si hujusmodi concretio pylorum nequeat superare ad vomitus nisum, aut nova occasio secernendi sanguinem nobis occurrit, ipso stimulo perdurante. Interdum evanit ut sanguinis pars in ventriculo effusa nequaquam in intestina descendat. Et non raro conspicitur sanguinem in obstructis vasis potiusquam in ventriculi aut intestinorum cavitate retineri. In hac conditione, praecipue in gracilibus, iracundis hypochondriacis et in iis qui pallidum flavumque ostendunt colorem, antecedere solent tumor, borborygmi, tormina in epigastrio, in hypochondrio sinistro, aut in inferiori abdominis parte, aut vel in ipso umbilico.

Tandem virium dejectione et proximae lipothymiae sensatione, et obstructis ventriculi aut

intestinorum vasis reserratis, aut varicibus accedentibus, valde nigra materies pici similis vomitur, ventriculi aut intestinorum cavitatem implendo. Tunc sanguis valde ceris et corrodentis naturae fit et praecipue quorumdam hominum valde debilium ventriculo, naturam aut acidam aut putrescentem acquirit, quae aut vomitu aut alvi excretione prodit. Tunc morbus niger Hippocratis nuncupatur, qui egregie a Tissot aliisque recentioribus describitur

Ii qui nigro morbo aut melaena corripiuntur, fere peculiari organorum intellectus inhumitate torquentur, aut ad maniam proni sunt, quam propter tristes melancolici et cogitabundi fiunt. Major aegrorum pars insociabilis fit, assidue amaris cogitationibus et contentionibus indulgentes, quodcumque vinculum quod eos societati jungebat, auferunt. Si interdum cum quibusdam sermonem habeant, his proprias aerumnas et calamitates plerumque somniatas narrare solent, et saepe feroces violenti et ingrati videntur. Haec vidit *Alibert* in quibusdam melaena laborantibus quorum historias publici juris fecit.

Possunt aliquoties cum melaena confundi, *stomatorrhagia, pneumorrhagia, haemorrhoides et vomitus cruentus neonatorum*, nisi medicus diligenter morbi originem causasque prudenti examine perquirat.

Distinguitur porro Pneumorrhagia propter tussim pectorisque affectionem quibus constanter comitari solet et sanguis in illa rejectus, rutilans spumosus nec ulla aetherogenea materie commixtus observatur. Desunt e contra dolores abdominis et omnia symptomata prodroma quae haema-

temesim antecedunt. Pneumorrhagia praeterea plerumque contigit inter 16 et 30 aetatis annum, haematemesis vero inter 40 et 50.

Haemorrhoides propriis topicis symptomatibus discernuntur, nec sanguineo vomitu unquam comitantur.

Vomitus cruentus neonatorum dignoscitur e causis. Hicce vomitus interdum accidit si infans aut sub partu, aut post illum ex mammis excoriatis sanguinemque effundentibus, sanguinem ingurgitaverit.

Obscura praesertim tunc erit diagnosis ubi haemorrhagia intestinorum locum habeat, attamen symptomata prodroma, dolores abdominis, quantitas et qualitas sanguinis emissi medicum edoceant.

Tandem materiae nigrescentes non sanguineae per vomitum vel per anum secerni possunt, haematemesim simulando, excrementa praecipue nigra ex martialibus, remediis scytodeficis, ex cerasis magna copia ingestis etc. tincta.

Investigatio causarum, examen aegrotantis, absentia reliquorum symptomatum, quae melaenam concomitari solent, et solutio in aqua materiei auspectae, nos certos reddant quoad verem morbi naturam.

ÆTIOLOGIA

Ad haemathamesim praedisponunt, uti diximus ab initio, hypochondriasis, temperamenta pituitosa, studia graviora et diuturna, vitae genus umbratile etc. Occasionem vero praebent sanguinis congestiones per metastasim ad ventricu-

lum vel intestina post haemorrhoidum menstruorumve suppressionem, in iis praesertim qui valde nutritione pollent, in foeminis robustis atque plethoricis; sic pariter, hepatis lienisve organicae laesiones unde fit ut obstaculum imponatur liberae sanguinis circulationi in imo ventre, et sanguis congestus in venis eas dilatet, dolentes reddat, disrumpatque opus sit.

Inter occasionales causas numerantur quoque potentiae omnes nocentes quae vim propriam vel mechanico vel chaemico modo exercent. Lethalis enim haematemesis non semel contigit ex ussibus deglutitis, vitris, acubus, venenis corrodentibus drasticis, ex hirudinibus una cum aqua cenosa palustri in ventriculum introductis. Sic e verminibus e ventriculi vulneribus, aut violentis, aut ictu externo, e vi violenta partuum difficilium, ab ulceribus ventriculi et intestinorum, e scyrrho in pyloro, e vomitu frequenti ac pertinaci, vel e causa locali, uti non rara observatum fuit sanguinem ex aneurismate arteriae coeliacae disrupto per oesophagum evacuari, nec desunt exempla aneurismatum arteriarum mesenterii in intestinorum tubo lacerata. In scorbuto et febre flava Americana haemathemesis observata fuit; sicuti tineae et scabiei retropulsio eam aliquando produxit. *Alibert* melaenam evolvi conspexit ex repentinis atmosfaerae mutationibus, ex alimentorum difficilis digestionis et liquorum spiritoosorum, Veneris, aromaticorum potuum fermentantium abusu, nec non a gazosi cujusdam principii venefici respiratione, aut aeris arsenici molecculis scatentis. Ubi Nantae, inquit ille, noxas ex prava ciborum indole passi fuerint, ubi praecipue in navibus diu morantur, melaenae morbo obnoxii sunt.

264

De causa proxima jam satis superque dictum fuit.

PROGNOSIS

Haematemesis ob haemorhoidum et catameniorum retropulsione originem habens impune tolleratur praecipue in robustis atque plethoricis, sed si haec in debilibus gracilibus comites habeat crebros acerbos copiosoque sanguinis vomitus, tunc vitales ventriculi functiones labefactantur et aut hydrops aut inacies consequuntur. Periculosa haematemesis est ubi febris evolvatur. Periculosa valde haematemesis si oppressio, epigastrii dolor et extremorum frigor superveniant. Lethalem haematemesim pronunciavit Hippocrates dicens = morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis supra aut infra exierit, lethale = Quibuscunque ex morbis acutis et diuturnis aut ex ulceribus aut alio quovis modo extenuatis, bilis nigra aut, qualis sanguis niger effluxerit, postridie moriuntur. «

Tissotius qui in curando hoc morbo satis versatus fuit nunquam perfecte sanatum fuisse asseruit. *Hoffmannus, Bauhinus, Platerus, Sennertus, Riverius,* abiqua semper lethalem exitum pronunciarunt. — Illustris juvamis *Jos. Singer* Saxo Teschinensis in dissertatione inaugurali medica in qua de morbo nigro Hippocratis pertractavit, quibusdam observationibus innixus probavit lethalem morbum esse. Porro causarum natura, rejecti sanguinis qualitas et quantitas, morbi diuturnitas, aegri constitutio, et complicationes Prognosim modificari debent.

Huc referendae non incongruum mihi videntur historiae quaedam circa haematemesim quas in clinicis medicis lectionibus tradidit Illustris atque in praxi medica felicissimus, peritissimus Caspar Federigo Clinicem Medicam et Therapiam specialem pro Medicis supplens.

Vesturina Piassa Veneta, mater cel. Jurisperiti Marci Piassa, temperamenti hypochondriaci, vitae generi inerti nimium quam par est addicta, phaenomenis hypochondriacis multis ab hinc annis laboravit. De repente anno 1796. mense Februarii abdominis doloribus, ructibus, flatuum evolutione, borborygmis, anorexia, oris amaritie, siti et gastrialgia vexari coepit.

Hujusmodi phaenomena infusionibus florum chamomaeli et baccarum Junip.; tincturae castorei, et vicissim clysteribus flor. Chamomael. cum Ol. sem. Ricin fere evanuerunt. De repente vero copiosa sanguinis excretio per vomitum et per alvum supervenit, animo fere linquit, venter tumet. Attamen clysteribus ex decoctione tarax. et graminis et interne usu seri lactis cum tamarindo, externe, enematum flor Chamomael. sensim sensimque cum haemorrhagia tum alia symptomata evanuere. Imposterum morbi reliquiae videlicet anorexia; sitis, virium languor, infusione amara ligni quassiae, centaureae minoris et martis tinctura pomata debellantur. Anno tamen subsequenti octuagesimum aetatis suae, mense augusti post gravia animi pathemata, tympanitide fere acutae indolis, victima evasit.

Anno 1812. mense Septembris Franciscus *Piassa* annorum 62 temperamenti hypochondriaci, vitam inertem gerens, nec levibus animi af-

lectionibus obnoxius, hypochondriacis et hystericae symptomatibus non semel laborans, vicissim in posterum colicodynis gastrodynis anorexia sui, alvi tumore, crebris ructibus conflictabatur. Fotus abdominis ex decoctione flor Chamomeli hujusmodi phaenomena compessere videbantur Sed de repente animo linquit, corpus universum friget, pulsus summopere exigui observabantur, et postea crebrae lipothymiae, dolore epigastrii atque tumore comitatae in scenam prodeunt facies hippocratica fit, et singultus supervenit, ita ut morti proximus videretur.

Cardiaco illi administrato, melius se se habuit, facies vividior, pulsus magis naturales fiunt, sed improvviso sanguinis atri congesti, et copiosi excretio ex ano observatur, et dolores identidem in epigastrio et abdomine aegrotum vexant hirudines ano adplicantur, postea serum lactis cum tamarindo et boli ex tarax trifol. fibr et extract gram., Enemata ex decot flor. cham at tarax praescribuntur.

Alvi excretio sanguinea atra nonnullorum dierum curriculo perseverat, quae tandem evanuit Imposterum dispepsiae phaenomenis cum incredibili fere virium jacturi supervenientibus, sensim sensimque infusione amara ligni quassiae, rad columbi et tinctura martis pomata, et deinde aquae Recoliari usu convaluit, optima nutritione viriumque robore et adpetitu pollens.

Anno tamen 1814 gravioribus animi pathematibus conflictatus, aerisque vicissitudinum noxas patiens, non absque aliquo in diaeta errore, rursus nigro morbo correptus fuit, iisdem fere prodromis antecedentibus et phaenomenis jam supra

expositis Eadem fere medendi ratione pertractatus saluti restitutus iterum fuit.

Quamvis lethalis sit generatim loquendo morbus hic attamen *Tissotus* nonnullas protulit prosperas curationis observationes, porro non ita facile de aegrotantium salute desperandum est.

CURATIO

Ubi haemathemesis robustos atque plethoricos corripiat, aut originem habeat ab haemorrhoidum diuturnarum aut catameniorum retentione, ad tonica atque adstringentia ramedia minime est confugiendum potius ad rem faciunt acida diluentia ut corruptio et ipsius sanguinis vitiosa degeneratio impediatur, prosunt quoque hirudines ano aut vaginae adplicatae, enemata emollientia nonnihil antispasmodica, gummi arabici emulsiones, infusiones flor. chamom. serum lactis cum pulpa tamarindorum, etc.

In haemathemesi hypostheniea quae a ventriculi et intestinorum inertia originem habet, administrantur elixir sulphuricum, infusiones frigidae marrubii, centaureae minoris, cort. peruv. cum gum. arab. et imposterum aquae minerales gazosae calybeatae. Clar. *Michelotti* medicus venetus elapsi saeculi exemplum hemathemesis narrat, quae potu gelido aquae debellata fuit.

Si haemathemesis a viscerum abdominalium obstructione originem habeat, boli saponis, gummi ammoniaci, extracti taraxacon et conii maculati Linnaei, postea martis praeparata, voto satisfacere solent.

Haemathamesis scorbutica acidis vegetabilibus atque mineralibus est pertractanda, quae ex

causis debilitantibus et peculiari inertia est debilitate ventriculi aut intestinorum vel hepatis oritur, praecipue in iis qui hypochondriasi fuerunt obnoxi, medendi ratio tonica excitans voto respondet hinc ferrum, decotiones rad. columb., quassiae; cort. paruv. cascarill, aqua gelida et gelu epigastrio prosunt.

Haemathemesis e venenis orta peculiarem antidotum ipsius veneni naturae respondentem postulat.

Ut recidiva evitetur aegris victus sit tenuis facilis digestionis videlicet oryzae cremor, pullus junior, juscula cum acetosa, boragine, dauco carote, petrosellino, prohibendus vero est usus liquorum fermentantium spirituosorum, alimenta aromatica atque salita. Ventris obstructione aut segnitie perdurante, manna tamarindus cum lactis sero administrentur.

Sic finem imponam ne vastra auditores humanissimi, abuti patientia videar.

THESES

I. Febres legitimae et intermittentes non uti totidem *Gastro-enterritides* existimandae sunt: saepissime enim causae cum effectubus confunduntur.

II. Actio irritativa e conditione irritativa valde differt.

III. Non datur diathesis hyperstenica aut hypostenice nisi prius fuerit actio aut conditio irritativa.

IV. Omnia contre hydrophobiam remedia empyrica sunt.

V. Non omnes juvat sistere haemorrhogias.